

de ordinatione diaconi ex Pontificali Romano. Videtur autem hæc differentia stabilita potius jure Ecclesiastico, quam divino, tum quia, neque in Scriptura aliquid legimus, unde possit hæc differentia colligi; nam sicut Actor. 8, legimus, Philippum diaconum baptizasse, ita etiam cap. 9, legimus, baptizasse Ananiam, quem laicum fuisse significat Clemens., lib. 8, cap. 52, et utrumque dicit ex speciali Christi dispensatione baptizasse; neque etiam ex traditione colligi potest, hanc differentiam esse divino jure introductam. Tum etiam, quia sicut solemnitas et cæremoniæ baptismi Ecclesiastico jure institutæ sunt, ita eodem jure videtur præscriptum, quod tales cæremoniæ nemini, qui sit inferior diacono, possint committi; imo hoc videtur pertinere ad quemdam ritum ipsius baptismi. Non dubito tamen, quin ex dispensatione summi Pontificis hoc solemne ministerium alicui non diacono committi possit, quia nullum est sufficiens fundamentum ad negandum Pontifici hanc potestatem. Non tamen nego, quin hæc Ecclesiastica ordinatio valde consentanea sit juri divino, et in illo habeat aliquod fundamentum, quatenus ex intentione divini juris ad hoc ordinatur diaconus, ut sit specialis minister presbyteri, ut et illius ministerio utatur in rebus sacris peragendis, et possit etiam ei committere aliquod sacerdotale ministerium, ad quod non est absolute necessarius sacerdotalis character, quando subest causa legitima. Exemplum accommodissimum est in dispensatione Dominicorum corporis, quæ potest diacono committi, non vero subdiacono, ut infra dicemus ex Concilio Nicæno, capite decimoquarto, et Concil. Arelat., capite decimoquinto, quod quidem consentaneum est in jure divino; absolute tamen jure Ecclesiastico est institutum.

11. Secunda differentia est in privata administratione baptismi ob necessitatem. Nam in primis facilius committi potest diacono, quam inferiori, quia jam est aliquo modo ratione sui Ordinis ad hoc deputatus; unde etiam in præsentia sacerdotis aliqua esse potest causa sufficiens ad committendum hoc ministerium diacono, quæ non satis est, ut inferiori committatur; ut, v. gr., ob gravem aliquam occupationem, posset interdum sacerdos committere diacono, non vero subdiacono, vel inferiori. Deinde, quamvis vera sit illa respectiva differentia, supra inter argumentandum posita, non est tamen omni ex parte æqualis propria; nam in absentia

superiorum, diaconus veluti jure suo præfrendus est omnibus inferioribus, ita ut inversio hujus ordinis non solum sit indecens ratione hujus sacramenti, sed etiam sit quedam usurpatio juris alieni. At vero ordo inter cæteras personas inferiores diacono, solum fit ex decentia quadam, non vero ratione juris, quod aliquis eorum habeat ad ministrandum hoc sacramentum; adeo ut probabile sit inversionem hujus ordinis in his inferioribus personis inter se non esse peccatum mortale, secluso contemptu, cum tamen respectu diaconi, non sit dubium, quin res sit gravis, de qua re dicturi sumus infra in disp. morali, ubi explicabimus peccata, quæ in hoc ministerio committi possunt.

### SECTIO III.

Utrum minister baptismi esse debeat una tantum persona, vel possit ex multis componi.

1. *Titulus quæstionis explicatur.* — Variis modis potest intelligi, eumdem hominem a multis simul baptizari. Primo, ita ut a singulis integre baptizetur, unoquoque per se et abluente, et totam formam proferente, et absolutam intentionem baptizandi habente independenter ab alio; in quo baptismi modo non est unus minister ex multis personis compositus, sed sunt plures integri, seu totales ministri baptizantes eamdem personam. Secundo modo intelligi potest, ut plures concurrent partialiter, idque duobus aliis modis: primo, dividendo inter se ipsum actum externum, ita ut unus abluat, alter proferat formam; vel quod unus proferat, v. gr., illa verba, *Ego te baptizo*, alias vero addat, *In nomine Patris*, etc., vel etiam, si fieri potest, unus abluat partem unam, alias vero aliam. Secundo, solum ex intentione sua partialiter concurrendo, ita ut licet uterque lavet, et proferat totam formam, tamen uterque intentionem habeat non baptizandi sine alio, sive interius tantum eam intentionem concipient, sive aliquo modo in forma exprimant, dicendo, *Nos te baptizamus*, et de singulis his modis aliquid dicendum est.

2. *Ratio dubitandi circa primum.* — Circa primum ratio dubitandi esse potest, primum, quia vel in eo casu uterque illorum baptizat, vel alter tantum, vel neuter. Non primum, quia non possunt dari ejusdem effectus plures causæ totales. Non secundum, quia non est major ratio de uno, quam de alio; ergo ter-

tium, atque ita repugnat, baptismum dari a multis ministris. Secundo, quia vel ille baptismus est unus, vel plures; unus esse non potest, quia ibi sunt plures materie, plures formæ et plures ministri totales; neque etiam possunt esse plures, quia unus necessario destrueret alium, quia baptismus caderet in subjectum baptizatum, quod est incapax sacramenti baptizandi, ut supra dictum est; ergo verius dicitur, nullum ibi esse sacramentum. Tertio fingamus, utrumque ministerium sic baptizantem habere intentionem non baptizandi, si alias baptizet; baptizandi vero, alio non baptizante; et tunc inquiramus, an sit validus baptismus ab aliquo eorum datus, necne. Non potest dici, quod sit validus, quia neque uterque potest esse validus, cum sit contra intentionem baptizantium, neque alter tantum, cum non sit major ratio de uno, quam de altero. Si autem alter eorum invalidus est, necessario dicendum videtur alium esse validum, quia concurrunt materia et forma necessariæ, et intentio ministri, quæ, licet conditionata fuerit, tamen transit in absolutam, cum supponatur conditio jam posita; ergo nihil deest, quominus talis baptismus validus sit: nisi dicamus, hoc ipso esse nullum, quod multi ad illum efficiendum concurrere tentarunt; ergo hoc necessario dicendum est, cum fieri non possit, ut unus potius, quam alias validus sit.

3. *Conclusio.* — *Ratio.* — Nihilominus communis sententia est, nihil repugnare, quominus plures homines hoc modo ad baptizandum concurrent. Hæc est sententia D. Thom. hic, et omnium Theologorum, quos statim referemus. Et ratio est, quia in eo casu unusquisque illorum baptizantium est ex se sufficiens ad ministrandum baptismum, et tam in actione, quam in sua intentione operatur ut integer minister, et applicat omnia necessaria ad sacramentum conficiendum; ergo vere ac valide conficit illud. Patet consequentia, quia nihil est, quod impedit; nam solus concursus seu concomitantia alterius non potest impedire, quia non habet actionem contrariam, aut repugnantem, sed omnino similem. Sicut in sacramento Eucharistiae conficiendo, licet plures hoc modo concurrent, non se impediunt, quominus sacramentum factum teneat, ut ex Ecclesiæ consuetudine constat, sicut infra dicemus. Et hæc ratio evidenter fiet ex solutionibus argumentorum, quæ in contrarium objecta sunt.

4. *Respondetur ad primam dubitandi ra-*

*tionem.* — Ad primum, distinctione utendum est; aut enim uterque illorum in eodem instanti perficit omnia necessaria ad baptismum, vel unus prius tempore absolvit, quam alius. Si priori modo contingat, dicendum est, utrumque illorum baptizare in eo casu, imo singulos eorum integrum baptismum conferre, quia uterque applicat integrum formam et materiam independenter ab alio. Quomodo vero illi duo ministri sint cause totales ejusdem effectus, dicetur statim. Si autem alter illorum prius absolvat omnia necessaria ad sacramentum, ille solus perficit sacramentum, et non alius, si debita intentione baptizet. Ita docet D. Thomas hic, quem sequuntur omnes, et convincitur illa ratione, quia baptismus iterari non potest; et quod subjectum semel baptizatum incapax est ulterioris baptismi; sed quando alter ministrorum prius tempore perficit sacramentum, jam subjectum illud est baptizatum. Ergo quidquid postea fit, irritum est, et inane. Confirmatur ac declaratur. Nam si post consummatum unum baptismum, alium inchoaret, nihil faceret, quia subjectum jam est incapax; ergo eadem ratione, quamvis inchoaverit simul suum baptismum, antequam subjectum esset baptizatum, tamen si in instanti, in quo illum erat perfecturus, jam invenit subjectum baptizatum, non poterit illum perficere, quia jam subjectum non est capax illius perfectionis; sicut si subjectum desiceret seu moreretur ante perfectum sacramentum, non posset perfici, sed maneret irritum et inane ex defectu subjecti; eadem enim est ratio, quacumque ex causa subjectum fiat incapax sacramenti. Supponit autem totus hic discursus, baptismum, prius tempore consummatum, statim esse validum, quod est certissimum, quia concurrentibus omnibus necessariis ad sacramentum, sacramentum perficitur; hic autem concurrent omnia necessaria, ut baptismus fiat, si minister debitam intentionem habeat. Quod ideo addo, quia si haberet intentionem non baptizandi, donec alius absolvat omnia necessaria ad sacramentum, in eo casu, nihil perficiet is, qui prius absolvit, quia non habet absolutam intentionem, sed conditionatam; et conditio non est impleta in eo instanti, in quo ipse perficit omnia ex parte sua necessaria ad sacramentum; diximus autem supra, agentes de sacramentis in genere, sacramentum, datum sub conditione de futuro, nullum esse, quia neque est validum in instanti, in

quo deberet perfici, quia non est impleta conditio, nec postea, quia jam non extant materia, nec forma, ex quibus perfici debet. Quocirca in predicto casu, ille minister, qui posterius absolveret necessaria ad baptismum, illum perficeret, atque conferret, quia jam ex parte subjecti non esset incapacitas, et aliunde adhiberentur omnia necessaria, quia licet intentio esset conditionata, tamen jam conditio esset impleta. Quia jam supponimus alterum absolvisse omnia ex parte sua necessaria, et haec tantum erat conditio apposita, ut supponitur. Si autem conditio esset, quod alius verum perfecisset sacramentum, redit difficultas tacta in tertia objectione. Atque hinc constat verissimum esse, quod hic D. Thom. dixit, illicitum esse, per se loquendo, hoc modo plures baptizare, non solum quia superfluum est, et praeter morem Ecclesiae, sed etiam, quia sine causa se exponunt morali periculo, ut alter eorum nihil efficiat, et materialiter saltem baptismum repeatat.

5. *Ad secundam dubitandi rationem respondetur.* — Ad secundam difficultatem D. Thomas hic, art. 6, plane sentit, unum et eundem baptismum ab eodem ministro in eo casu conferri, et rationem indicat, quia Christus, qui est unus interius baptizans, unum sacramentum per utrumque confert. Idem sentit Scotus, dist. 6, quæst. 2; et Soto, dist. 4, art. 4, juxta quam opinionem tollitur omnis difficultas, seu periculum rebaptizandi in eo casu. At vero Gabriel, in 4, dist. 6, quæst. 4, art. 3, dubitat. 4, existimat, ibi fieri duo baptismata, et idem videtur supponere Cajetanus hic, art. 6. Et valde favet D. Thomas, quæst. preceps., art. 5, ad 4, ubi dicit, agens de hac eadem re, actus multiplicari secundum multiplicationem agentium, si perfecte ab unoquoque agantur. Sed in præsenti casu, de quo agimus, baptismus perfecte datur ab unoquoque agente; ergo multiplicatur juxta multiplicationem agentium. Atque eamdem vim habere videtur objectio facta, quia ibi sunt due formæ integræ, a quibus potissimum sumi videtur constitutio et distinctio sacramentorum, præsertim eorum, quæ in usu consistunt. Rursus sunt due materie, nam sunt due ablutiones, maxime si baptismus fiat per aspersionem vel infusionem aquæ; sunt ergo duo baptisma. Nam quodlibet totum multiplicatur multiplicatis partibus, ex quibus intrinsece constat. Nec videtur referre, quod subjectum sit idem. Nam unitas

sacramenti non sumitur ex subjecto; sicut neque entitas ejus. Et juxta hanc sententiam respondendum est ad objectionem factam, utrumque illorum baptismatum fieri circa subjectum non baptizatum, quia unum eorum non supponit alterum nec tempore, nec natura; et ideo utrumque potest esse validum, quia veritati et valori baptismi non repugnat consortium alterius, qui omnino simul fiat, sed solum repugnat fieri circa subjectum jam baptizatum. Atque hinc facile solvitur juxta hanc opinionem alia difficultas tacta de pluribus causis totalibus ejusdem effectus. Duo enim effectus horum ministrorum possunt hic considerari. Prior est ipsum sacramentum; cum enim fiat a ministro, vere ac proprie dicitur effectus ejus, et hoc modo non est unus effectus a duabus causis, quia sunt duo sacramenta a duobus ministris. Posterior est character seu gratia sacramentalis; et hic absque ulla controversia est unus tantum, quia illa receptio est per modum unius, et quia non est homo capax duorum characterum baptismalium, nec gratia sacramentalis baptismi iterari potest, proprie loquendo, per multiplicationem ejus, quamvis possit eadem restituiri, si amittatur, de quo alias. Et tunc est difficultas, quomodo ille unus effectus fiat a duobus ministris, seu a duobus sacramentis. Ad quam respondet Cajetanus, quod licet in causis principalibus, et quæ operantur in propria virtute, repugnet eundem effectum esse a duabus causis totalibus, tamen non repugnat esse a duobus instrumentis, quando unum est principale operans per utrumque eorum. Sed si loquamur in ordine ad divinam potentiam absolutam, revera neutrum repugnat, quia potest idem effectus fieri pluribus dependentiis et actionibus. Si vero sermo sit de potentia ordinaria et consentanea rebus ipsis, sicut est supervacaneum, plures causas principales, et ex se sufficientes ad unum effectum, simul efficere illum pluribus actionibus totalibus, ita videtur superfluum, fieri et plura instrumenta totaliter in suo genere concurrentia, id est, sufficientia per plures actiones totales in suo genere. Quocirca in præsenti casu censeo, hunc characterem et sacramentalem gratiam posse fieri a Deo per utramque formam a ministris prolatam, vel pluribus actionibus, vel una tantum, diminante simul ab utroque sacramento. Et si priori modo fiat, sacramenta concurrere, ut instrumenta totalia, quia a singulis eorum est tota actio, quæ sufficit ad effectum; si autem

fiat posteriori modo, tunc concurrere, ut instrumenta partialia, quia licet virtute (ut sic dicam) sint totalia, tamen actu unum non influit actione independente a consortio alterius, quia non est major concursus necessarius. Cum ergo uterque istorum modorum sit Deo possibilis, incertum est, quo illorum utatur; quamvis posterior videatur minus miraculosus, facilior et conformior ordinario modo operandi. De qua re iterum dicemus in materia de Eucharistia, ubi similis quæstio redibit. Atque hec posterior sententia, in hunc modum explicata, videtur satis probabilis, et fortasse non est contraria D. Thomæ, immo vix potest hic esse diversitas in re, sed solum in modo loquendi, quod attinet ad unitatem, vel pluralitatem sacramenti. Materialiter enim (ut sic dicam) negari non potest, quin ibi sint plures res significantes et sufficientes gratiam, quæ inter se non uniuntur per modum materiæ et formæ, neque alio genere compositionis; sed sunt potius distinctæ formæ et materiæ distinctæ. Hoc ergo modo sunt plura sacramenta; tamen formaliter atque moraliter, quia in eodem subjecto sunt simul et in ordine ad eundem omnino effectum efficiendum et significandum, possunt dici unum sacramentum, et unum sacrum signum, quatenus totum illud signum externum nec plus efficit, nec plus significat, quam si esset ex unica simplici forma et materia compositum.

6. *Ad tertium.* — Ad tertium respondetur, quando intentio ministri in se ipsa involvit contradictionem quamdam, seu inextricabilem perplexitatem, et est quodammodo se falsificans (ut more dialecticorum loquamur) tunc talem intentionem esse contra veritatem sacramenti, quia quodammodo se ipsam destruit et impedit; non est autem hoc sensu interpretanda intentio, nisi manifeste constet de voluntate et proposito operantis. In præsenti ergo, quando uterque ministrorum vult baptizare, dummodo alius non baptizet, et non alias, duobus modis exponi potest talis intentio, ut non involvat repugnantiam. Primus est, dummodo alius non prius baptizet, et ita est non solum sufficiens intentio, sed etiam prudens, ad evitandum periculum intentæ rebaptizationis. Et in eo casu, qui prius absoluit, perficit sacramentum; et si simul absoluant, uterque perficit, quia conditio posita in utriusque intentione impletur in ipsomet instanti, in quo perficiendum est sacramentum. Secundus sensus conditionis appositæ esse

potest, dummodo alius non absolverit materiam et formam sacramenti in eo instanti, in quo est a me perficiendum; et tunc si uterque simul absolvat, neuter baptizat, quia neutrius conditio impletur; est tamen talis conditio imprudens, quia sine causa volunt in eo casu irritum facere sacramentum. Multo vero magis est imprudens et inepta intentio, si apponatur conditio in alio sensu perplexo et involvente repugnantiam, ut est ille tactus in argumento; et tunc etiam utrumque sacramentum nullum est, non quia ministri propter solam multitudinem personarum se impediant, sed quia habent intentionem perplexam, et ideo inutilem et inefficacem, ut Palud. et Soto etiam indicarunt.

7. *Secunda pars hujus sectionis.* — *Objectio.* — In secunda parte hujus sectionis videndum est, an possit baptismus ita a duobus conferri, ut alter abluat, alter vero proferat formam. Theologi enim varie in hoc sentiunt; Marsil. enim, in 4, q. 4, art. 8, dub. 44, et Cajet. hic, quamvis cunctanter, in eam tamen partem magis inclinant, quæ affirmat hujusmodi baptismum validum esse; quia ut supponimus, hujusmodi duo homines habent intentionem baptizandi, et applicant veram materiam, et veram formam; ergo nihil deest ad veritatem baptismi. Probatur consequentia, quia solum potest obstar, quod ibi integer minister veluti componitur ex duplice persona. Hoc autem nullum impedimentum esse videtur, primo quidem, quia neque ex ipsa rei natura hoc repugnat, neque ex institutione, neque ex aliqua significacione, aut representatione sacramenti. Primum patet, tum quia sacramenta nullum habent esse, neque virtutem agendi ex sola natura rei, sed ex institutione; tum etiam quia in aliis causis et effectibus sæpe contingit, causam integrum componi ex pluribus suppositis seu personis; sæpe etiam contingit, principalem causam uti pluribus instrumentis, vel ad præparandam materiam, vel ad inducendam formam. Quintimo in hac sacramentorum materia non est hoc novum; nam in matrimonio duo contrahentes sunt ministri unius sacramenti; et in poenitentia, poenitens est, qui exhibit materiam, sacerdos vero, qui inducit formam. Secundum patet, quia nulla est auctoritas, vel traditio sufficiens, ex qua possit talis institutio colligi; nec vero est ulla ratio, unde colligatur, ut ex dictis constat. Verba autem Evangelii, *Baptizantes eos in nomine Patris*, etc., satis verificantur, sive utrumque fiat

ab una persona, sive a pluribus concurrentibus per modum unius. Dices, id colligi ex verbis formæ, *Ego te baptizo*, quæ erunt falsa, si alter baptizet, alter proferat formam. Sed contra, quia hujusmodi significatio formæ non est de essentia hujus sacramenti, nam sufficit forma Græcorum, *Baptizetur servus Christi*. Item sufficit, si in plurali dicatur, *Nos te baptizamus*, et utroque modo nulla est falsitas in significatione formæ, etiam si baptismus prædicto modo a duobus conferatur. Tertium de significatione seu representatione sacramenti, scilicet, quod ex parte illius nihil obstet, probatur, quia non est necesse ut in ministro ipso, sive sit una persona, sive plures, sit aliqua specialis significatio. Quæ est enim hæc necessitas, aut unde colligi potest? Deinde etiam si admittamus, quod D. Thomas ait, quod sicut unus est Christus, qui est principalis baptizans, ita unus esse debet minister, qui illum representat, responderi potest, debere quidem esse unum ministrum, sed non simplicem; nam licet sit compositus ex duplice persona, tamen utraque concurrit per modum unius ministri, et in hoc satis representat Christum principalem baptismi auctorem, cuius vicem gerit. Et confirmatur tandem, nam hic modus baptizandi interdum potest esse necessarius, ut si infans sit in extrema necessitate, et tantum adsint duæ personæ, quarum altera loqui non possit, altera vero non possit ablueri; baptismus autem est sacramentum maximæ necessitatis; ergo debuit in sua institutione comprehendere etiam hujusmodi ministerii modum.

8. *Prima ratio D. Thom.* — *Instantia Durand.* — *Rejicitur.* — *Secunda ratio D. Thom.* — *Tertia ratio D. Thom.* — Nihilominus communis sententia est, baptismum hoc modo collatum a multis non esse verum sacramentum. Ita tenet D. Thom. hic, art. 6, in corp. et ad 3, et quæst. præced., art. 5, ad. 4; et Alexand. Alens., 4 part., quæst. 16, memb. 6; Bonav., in 4, dist. 5, art. 1, quæst. 1; Scot., dist. 6, quæst. 2; Gabr., quæst. 1; Rich., dist. 3, art. 4, quæst. 1, ad 1; Palud., quæst. 2, art. 2; et Soto, dist. 4, art. 4; atque idem tenet Glossa in cap. Quorundam, 23 dist., verbo *Imposuisse*; quæ hoc colligit ex illo textu, in quo Ordo datus ab Episcopo, et presbytero simul, Episcopo imponente manus, presbytero autem benedicente, seu proferente formam, irritus esse declaratur. Cujus generalis ratio (ut illa Glossa inquit) est, quia duo imperfecta non constituunt

unum perfectum. Sed hæc ratio non redditur in textu; nec videtur casus ille similis ei de quo agimus, quia in sacramento Ordinis conferendo, presbyter non potest esse minister, et ideo non potest cum Episcopo componere unum ministrum; et ex hoc solo capite evidens est, illam ordinationem fuisse irritam; in nostro autem casu quelibet persona concurrens posset esse sufficiens minister sacramenti baptismi. D. Thomas ergo tres rationes indicat. Prima est jam insinuata, quia in persona ministri debet representari persona Christi, et ideo una esse debet, sicut Christus est unus. Contra quam instat Durandus, quod principalior causa baptismi est Trinitas personarum; ergo sicut in principali causa sunt plures personæ, ita esse possunt in ministris. Sed hoc facilem habet solutionem, tum quia Trinitas non operatur in baptismo per se, ut plures personæ, sed ut est unus Deus; tum maxime, quia minister immediate non gerit personam Trinitatis, sed Christi Dei hominis, cui data est omnis potestas excellentiae supra sacramenta. Difficilior videtur objectio supra facta, quia nulla appetet necessitas, quod unitas personæ Christi representetur per unitatem personæ ministri, quia neque hoc sacramentum est ad hoc specialiter institutum, neque in cæteris sacramentis omnibus hoc reperitur. Adde, si in hoc est aliqua representatio necessaria, satis videri, quod sacramentum unum non possit a multis personis administrari, nisi quatenus unum integrum ministrum compleat. Nam per hoc indicant unam virtutem principalis agentis, in qua operantur. Secunda ratio D. Thom. est, quia actus baptizandi multiplicantur secundum multiplicationem agentium, si ab uno quoque perfecte agantur. Sed actus baptizandi debet perfecte agi a quocumque agente; ergo non potest idem baptismus fieri a multis imperfecte et incomplete concurrentibus. Minor probatur ex veritate formæ; nam hoc significant illa verba: *Ego te baptizo*, quæ si ab uno solo proferantur, et ille non lavat, neque integrum sacramentum ministrat, falsa erunt; si autem fiat variatio in forma, et dicitur: *Nos te baptizamus*, jam mutabitur substantialiter forma, quia aliquid ei additur, quod in illa non continetur, quia illa forma æquipollit huic: *Ego et ille te baptizamus*. Et præterea (ut hic ait D. Thom., ad 3, quæ est ejus tertia ratio) non evitatur falsitas, tum quia si alter non lavat, revera non baptizat; tum etiam, quia si neuter conficit totum

sacramentum, neuter dici potest baptizare; ergo multo minus dici potest de utroque copulative, prout in prædicta forma affirmatur.

9. *Primo eluditur.* — Hic vero discursus D. Thom. posset altero e duobus modis eludi. Primo, si cum Cajetano teneamus illis verbis formæ: *Ego te baptizo*, non significari idem, quod, *Ego te exterius, sensibiliter et corporaliter lavo*; sed, *Ego tribuo tibi baptismi sacramentum*, quo sensu supposito, vere ab illis duobus dicetur: *Nos te baptizamus*, quia tunc forma non facit sensum copulativum et divisivum (in quo sensu procedit objectio D. Thomæ), sed facit sensum complexivum, et hoc sensu est vera locutio, quia non est necesse ut de singulis personis verum sit dicere, integre et in solidum baptizare; sed solum utramque per modum unius concurrenre ad illud sacramentum perficiendum, et utramque suam qualecumque operam adhibere; et hoc verum est, et ita evitatur omnis falsitas in forma; mutatio autem illa non videtur substantialis, quia nihil per eam tollitur, quod sit de substantia formæ, neque etiam aliquid additur, quod corruptat substantialem sensum. Solum enim mutatur, quod significetur administratio sacramenti, ut ab uno, vel a duobus progrediens; et hoc contendimus, non esse de substantia. Quod si contrarium in prædicta ratione supponitur, petitur principium, seu supponitur quod probandum est.

10. *Respondetur.* — Hæc tamen responsio procedit, ut existimo, ex falso fundamento. Nam illa verba formæ, ut in superioribus dixi, primo et per se significant actionem sensibilem lavandi, et de illa imprimis verificanda sunt, tum quia hæc est propria significatio talium verborum; tum etiam, quia de ratione hujus formæ est, ut in ea significetur usus materiæ, et ideo si alter ministrorum non lavat, non potest vere dicere: *Ego te baptizo*; nec uteque simul poterunt dicere: *Nos te baptizamus*. Necesse est ergo, ut qui profert illa verba: *Ego te baptizo*, ipsem lavet; imo necesse est, ut totam ablutionem efficiat necessariam ad sacramentum conficiendum. Nam talis debet esse ablution, que tam ex institutione, quam ex usu, per illa verba significatur. Et consequenter necesse etiam est, ut qui profert illa verba: *Ego te baptizo*, proferat etiam alia, in nomine Patris, etc., quia ut sint pars formæ, necesse est, quod determinent verbum baptizandi et significationem ejus; nisi autem

ab eodem proferantur, revera non sunt pars ejusdem propositionis, nec determinant, aut elevant significationem ejus ad sacramentalem et mysticam significationem. Atque hoc modo non parvam vim habet ratio D. Thomæ, suppositis verbis formæ, quibus Ecclesia Romana utitur.

11. *Secundo eluditur D. Thomæ doctrina.* — *Respondetur.* — Posset tamen aliter responderi, illa verba sub illa significatione non esse essentialia, quia sufficit forma Græcorum, *Baptizetur servus Christi*, per quam non significatur actio lavandi, ut progrediens ab eodem, qui profert verba formæ, sed solum, ut recipitur in passo; ergo ex vi talis formæ, non est hoc de essentia hujus sacramenti; ergo, si abluite uno, alter sub illis verbis formam proferat, nulla est falsitas, nec substantialis mutatio in materia; ergo ex ratione facta non potest probari ibi non fieri sacramentum. Unde ulterius fieri videtur, etiam hanc formam posse in illo casu sufficere: Ille, seu Joannes te baptizat in nomine Patris, etc.; talis enim mutatio non videtur substantialis, cum eumidem sensum referre possit, quem forma Græcorum, in qua sicut dicitur absolute: *Baptizetur servus Christi*, ita dici potest: *Baptizetur a me*, seu *baptizetur a Petro*, vel *Joanne*. Nihilominus tamen existimo, rationem D. Thom. esse valde probabilem, quia verus sensus formæ baptismi non est petendus ex forma Græcorum, sed potius ex forma, qua utitur Ecclesia Romana; neque est censenda illa forma sufficiens, que prolata illis verbis, quibus Ecclesia Romana utitur, vera esse non potest. Existimo ergo, de essentia hujus sacramenti esse, ut actio lavandi ab eodem prodeat, qui profert verba formæ, prout in latina forma significatur. Atque in eodem sensu accipienda est forma Græcorum, nam verbum illud: *Baptizetur*, non est veluti deprecantium, sed quasi efficaciter operativum. Unde significat actualem operationem, ut exercitam ab ipsomet proferente.

12. *Ratio a priori hujus veritatis ex Christi institutione petenda.* — Addo tandem, rationem a priori hujus veritatis, petendam esse ex Christi institutione. Non est enim dubium, quin potuerit Christus, vel eo modo instituere hoc sacramentum, quo alia sententia dicebat, vel prout a D. Thoma declarata est institutio. Quæ autem fuerit Christi voluntas, ex sola quidem ratione colligi satis non potest, neque in Scriptura, vel ab Ecclesia aliquid est satis declaratum; si autem